

grossorum praefatis pueris vel cui ipsas legaverit, dare debet. Et nihilominus annis singulis quolibet sancti Martini festo praefatus dominus Fridericus seu eius in dicto beneficio successor pro tempore debet ad altare beatorum Symonis et Judae apostolorum praedictum et eius altaristae sive vicario dare de domo praedicta tamquam domino hereditario ipsius pro censu unam libram cerae, ipseque Fridericus et universi sui in sepedicto beneficio successores debent domum supra dictam habere tenere inhabitare et in perpetuum pacifice et hereditarie possidere. In quorum omnium testimonium praesens instrumentum per notarium infra scriptum scribi, nostrique decanatus sigillo ad preces dictae dominae Helenae iussimus communiri. Acta sunt haec Mysnae in domo habitationis nostrae anno domini millesimo tricentesimo sexagesimo indictione XIII^a., pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini, domini Innocentii divina providentia papae sexti anno octavo, nona die mensis Novembris hora quasi nona, praesentibus honorabilibus et discretis viris domino Conrado Pruyze canonico Mysnensi et praeposito Haynensi, Tyczkone de Gogh canonico et Theoderico de Gogh, perpetuo vicario ecclesiae Mysnensis, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Signum notarii.

Et ego Michael dictus Lemkini de Gubin clericus Misnensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, praemissae inter vivos donationi, resignationi ac omnibus et singulis, dum sic agerentur et fierent, una cum praenominatis testibus praesens interfui eaque sic fieri vidi et audivi et aliis negotiis impeditus per alium scribi feci meisque nomine et signo consuetis signavi requisitus et rogatus in testimonium omnium praemissorum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Decans an einem Pergamentstreifen.

No. 527. 1360.

Der bischöfl. Offizial Domherr Dr. Nicolaus Eberhardi gibt auf Erfordern ein Rechtsgutachten darüber ab, wem die in Kirchen und Capellen oder ausserhalb derselben in den Opferstöcken u. s. w. dargebrachten freiwilligen Gaben gehören.

Nos Nicolaus Eberhardi decretorum doctor archidiaconus Lusatiae in ecclesia Misnensi et officialis curiae episcopalis Misnensis. Cum quaeritur, cui debeantur oblationes, quae a fidelibus in ecclesiis et capellis offeruntur, respondemus et dicimus et pro iure diffinimus, quod omnes oblationes, quae fiunt in ecclesiis et capellis ecclesiarum, etiam quae¹⁾ extra eas divino fiant extraneorum²⁾ nomine, sive offeruntur in altaribus sive in cimiteriis sive in tabulis sive in truncis sive in imaginibus, debentur ecclesiarum et capellarum rectoribus et nulli alteri, nisi aliquae ecclesiasticae³⁾ huiusmodi oblationes vel ius⁴⁾ percipiendi ipsas vel earum partem proscripsissent. Et noviter⁵⁾ dicimus, personae ecclesiasticae, quia ius percipiendi oblationes de iure tunc in laicos non cadit nec cadere potest, nisi laici super hoc essent privilegiati a sede apostolica, sicut etiam aquasignati prope Oche⁶⁾, ubi quidam milites seu comites, qui indultu⁷⁾ dictae sedis apostolicae partem oblationum recipiunt. Et fatemur tamen,

1) quas Gr. 2) ex eorum Gr. 3) fehlt constitutiones od. consuetudines. 4) iure Gr. 5) nominaliter für noviter? 6) Vielleicht aquis Spadanis prope Ache? 7) indultam Gr.